

B. C. D.

SPECIMEN ACADEMICUM

DE

ESSENTIA

ET

ATTRIBUTIS DEI  
IN GENERE,

QUOD,

CONSENTIENTE AMPLISS. FACULTATE PHILOSOPHICA

PUBLICÆ VENTILATIONI SISTIT

SUB PRÆSIDIO

MAG. CAROLI  
MESTERTON

LOG. & METAPH. PROF. ORD. FACULTATIS PHILOS.  
p. r. DECANI

RESPONDENS

JOHANNES FORSELIUS, *And. Fil.*

WIBURGENSIS

DIE XVII. FEBRUARII ANNO MDCCL.

LOCO HORISQUE CONSUEVIS.

AEOÆ, Excud, JOH. KÆMPE, Reg. Acad. Typ.

B. C. D.

SPECIMEN ACADEMICUM

ESSENTIA

ATTRIBUTIS DEI

IN GENERE

CONSENTIENTE AMPLISS. FACULTATE PHILOSOPHICA

PUBLICAE VENTILATIONI SISTIT

SUB PRÆSIDIO

MAG. CAROLI

MESTERTON

REG. & METAR. PROF. ORD. ACQUISIT. HONOR.

ET HONOR. HONOR. HONOR. HONOR. HONOR.

ET HONOR. HONOR. HONOR. HONOR. HONOR.

JOHANNES FORNELIUS M. P. M.

ET HONOR. HONOR. HONOR. HONOR. HONOR.

ET HONOR. HONOR. HONOR. HONOR. HONOR.

ET HONOR. HONOR. HONOR. HONOR. HONOR.

ET HONOR. HONOR. HONOR. HONOR. HONOR.

ABOE, EXSUB. JOH. KEMPE, REG. ACQ. TOP.

VIRO

Plurimum Reverendo atque Doctissimo

D<sup>N</sup> ANDRÆ  
FORSELIO,

Pastori Ecclesiæ, quæ Deo colligitur in Christina  
Savolaxiæ, vigilantissimo

PARENTI INDULGENTISSIMO.

Cum permulta atque immortalia Tua sint be-  
neficia in me, Svavissime Pater: vix ingra-  
ti filii notam evitare possem, si primam quam  
que occasionem haud adriperem, animum Tibi,  
dulcissime Parens addictissimum testandi. Equi-  
dem, si minus intueor, quod Te, indulgentissime  
Parens, pro Ecclesiæ emolumento dies noctesque  
districtum tenet: audacia crimine haud vacare  
videor, qui libellum ad Te instituam, si ex  
mole

mole spectetur, per exiguum, si ex viribus meis,  
vix mediocrem. Aliquamdiu hæsiti, fateor, dum  
hæc cogitarem. Vicit tandem religio, & mate-  
rie, quam tracto, dignitas me aliquantum  
presidentiore fecit. Nam sic animo persuasi meo,  
me nihil nimis alienum, munere & ingenio Tuo  
facere, dum Tibi, Parens carissime, offero scri-  
ptunculam de essentia & attributis Dei. Hac  
spe fretus, Te, suavissime Parens, submissè  
rogo, ut conatum meum æqui bonique consulas.  
Quod mearum partium erit, laborabo donec vi-  
ta effluat; ne beneficia Tua Paterna apud pror-  
sus indignum, saltem non apud filium ingratum  
conloces. Valeas quam diutissime, floreas in  
Ecclesie emolumentum, favoremque in me serves.  
Ad urnam usque permanensurus

Indulgentissimi PATRIS

Obsequentissimus Filius

JOH. And. FORSELIUS.

**Q**uicquid mente nobis sistimus, id, variis  
 adeo nimisque multis circumstantiis in-  
 volutum, affectionibusque tere innumeris  
 vestitum, deprehendimus, ut singu-  
 lis illis, quantum satis esset, plene & distincte co-  
 gnoscendis, vires intellectus finiti & limitati mini-  
 me sufficient. Tantum abest, ut omnia ista simul  
 & unico actu idea comprehendere possit mens hu-  
 mana arctissimis inclusa cancellis. E re ergo ma-  
 xime erit, adsecuturis, ad quem adurgere ipsis,  
 pro ratione limitum suarum, datum est, distinctio-  
 nis gradum, ad ea quæ rebus insunt vel quocun-  
 que modo iis competunt successive attendere, sin-  
 gula a se invicem discernere, simulque notas seu  
 criteria & characteres, quibus objectum ab aliis  
 dignoscitur, sedulo distingvere. Ad hæc vero ani-  
 mum advertentes, quæ rebus conveniunt prædi-  
 cata omnia, ad duas primum classes commode  
 revocari posse, perspicimus. Aut enim constanter  
 rebus insunt, ut his salvis, & manentibus sub e-  
 odem

odem genere vel specie, ab his separari nequeant: aut salvis quidem ipsis earumque genere vel specie abesse & adesse possunt. Si autem illud, aut porro per alia rei simul inexistencia determinantur: aut non. Si hoc, nimirum si prædicata fuerint mutabilia & inconstantia, denuo aut ipsis rebus ita insunt ut ad harum determinationes pertineant: aut vero ipsis tantum adhærent, seu aliunde iis & extrinsecus quasi accedunt, ut ex relationibus modo rerum ad se invicem intelligantur. Constantia illa vel immutabilia quæ rem intrinsece constituunt, ceteraque quæ rei insunt determinant, ipsa vero per alia rei inexistencia non determinantur, *Essentialia*; quæ vero constanter rei insunt per essentialia simul tamen determinantur, *attributa* nobis sunt. Mutabilia autem quæ inesse & abesse possunt salva re, sine quibus adeoque ens illa vero absque ente vel substantia cui insunt, existere non possunt, *modi*: veluti quæ rei in se spectatæ non conveniunt, sed positis demum aliis ad objectum quocumque modo relatis intelliguntur, *relationes* audiunt. Essentialium vero & attributorum indolem plenius evolvere instituti ratio postulat.

## § II.

**C**omplexus essentialium essentiam constituit. Est itaque *essentia conceptus rei primitivus & constitutivus*, reliqua quæ rei insunt vel inesse possunt determinans, § I. Sumitur hic *conceptus non formaliter aut subjective* pro idea vel actu mentis, quo rem co-  
gno-

gnoscimus vel nobis repræsentamus: sed *materialiter* aut *objectivè*, quatenus ipsi objecto vel rei, etiam citra intellectus nostri operationem, inest & ad quidditatem eius spectat. Essentia namque ens nunquam dicitur potest, cum tamen sine conceptu formali eam esse non repugnet. *Primus* autem vel *primitivus* hic dicitur conceptus non quod respectu cognoscentis primum semper concipiatur, quasi exinde initium ubique lumeremus cognitionis nostræ, sed quia ordine naturæ & causalitatis primum concipi debet: nulla enim a priori investigari potest ratio cur enti inest, nec aliud datur per quod determinetur. *Constitutivus* deinde sic necesse est, h. e. non extrinsecus, neque negativus, sed qui ipsam internam rei realitatem, & intrinsecum possibilitatis modum, seu typum illum & imaginem, qui delineatur dum res ad existentiam deducitur, exhibeat & exprimat. Determinans denique erit, ut exinde inexistentiæ reliquorum vel possibilis vel actualis, ratio reddi possit.

§. III.

CUM vero in essentia ratio contineatur non modo attributorum, sed & cur hæc non alia in sint, §. II. liquido patet, posita essentia poni etiam attributa, quæ semper ejusdem indolis sunt cum essentia, posita enim ratione determinante ponitur id quod per eam est, qualisque causa univoca talis effectus. Et contra positis attributis ponitur essentia, nihil enim est sine ratione suffi-

ciente. Nullum itaque ens attributis potest privari, §. II. uti essentia necessaria, aeterna & immutabilis, sic idem de attributis valebit. Si essentia fuerit infinita, attributa quoque erunt infinita, si illa finita hæc quoque limitata erunt. Si unum entis attributum infinitum, reliqua quoque erunt infinita, tota enim essentia sub ista hypothese infinita est. Colligitur hinc porro attributa non realiter seu materialiter respectu ipsius objecti ab essentia differre, quasi hæc sine illis aut illa sine hæc esse possint. Nec essentia illa novam aliquam superaddunt realitatem, vel entitatem ab essentia diversam; hoc enim si ponatur, illud utique quod attributa essentia superadderent, essentiam haberet, hæc vero attributa, & sic in infinitum. Differunt vero attributa formaliter & pro nostro concipiendi modo ab essentia, aliter enim entis essentiam, aliter vero attributa, consideramus. Hæc primo non competunt enti, quo ipso ab essentia differunt, Essentiam nimirum ut prius, attributa ut posterior, concipimus, unde & conceptus secundi dicuntur; non quod tempore sint posteriora, necessario enim simul & semper cum essentia omni enti insunt; sed quia per essentiam determinantur, ut sine illa concipi non possint. Quicquid ergo hic adest discriminis id rationis est, non tamen sine fundamento in re, aliud enim est determinans aliud determinatum. Unius essentia ad varia attributa per multas possunt esse relationes, quas sigillatim



latim repræsentamus confusiones evitaturi. Licet  
vero negemus differentiam realem attributorum &  
essentiæ, cave tamen putes illa materialiter con-  
siderata mera esse entia rationis, nihil realitatis  
continentia: aliud enim est esse reale attributum,  
& esse realiter, ab essentiâ, cujus attributum est,  
diversum. Realia sunt attributa, cum extra men-  
tem concipientis vere & præter omnem intellectus  
nostri operationem existant, licet non realiter di-  
versa ab ipsâ essentiâ. Attributum quodlibet a  
parte rei & materialiter spectatum est ipsum ens,  
consideratum nimirum inadæquate, quâ certam &  
determinatam suam realitatem & essendi rationem.  
Formaliter vero acceptum non est ipsa essentiâ,  
intercedit etenim hic differentia a parte conceptus  
nostri, quo diverso respectu utrumque considera-  
mus. Ea quæ a parte rei idem sunt respectu di-  
versorum effectuum sæpe nobis sistuntur quasi re-  
aliter essent diversa: hæc autem differentia, intui-  
tu ipsius objecti, realis non est, sed tantum vir-  
tualis, actuali & reali opposita. E. g. anima ob  
simplicitatem suam unicam tantum habet vim,  
sed quâ diverso modo vel per diversas operatio-  
nes exerit, cujus adeoque diversi sunt effectus.  
Concipimus hinc in anima diversas potentias, E.  
g. sentiendi, imaginandi, reminiscendi &c. effectus  
istos varios producentes, licet unica eademque vi  
cuncta peragat. Neque attributa hæc animæ, fa-  
cultas sentiendi, imaginandi &c. re ipsâ a se invi-  
cem

cem distinguuntur, sed virtualiter tantum in ordine ad diversos effectus, cum ab una simplici virtute veluti ex pluribus oriuntur. Si vero ipsos actus in quos se explicant potentiae consideraveris nullum est dubium quin a se invicem realiter differant, alius enim est actus quo abstrahit animus, alius quo imaginatur vel vult. De essentia vero & attributis divinis specialius jam dicendum erit.

#### §. IV.

**O**Mnia quæ Deo insunt, intrinsece & a parte sui, nec inter se, nec ab essentia divina, realiter differre, sed quicquid est in Deo esse ipsum Deum, omnes saniores concedant, & in sequentibus evictum dabimus. Quæ vero de essentia divina instituitur quaestio, omnis huc redit, quodnam illud sit in Deo, quod primum in eo concipimus cujusque adeo nulla ratio a priori reddi possit: deinde entitatem Dei constituat, eumque ab omnibus aliis entibus distingvat: & denique pro nostro concipiendi modo principium, radix & origo sit omnium attributorum divinarum, ut hæc singula ab eo derivari possint. Hinc pro instituti diversitate in varias de essentia divina abierunt sententias omnium temporum eruditi: ut enim gentilium & sectarum antiquiorum, minus dignas & inconvenientes de Deo opiniones, quæ neque huc spectant, silentio prætereamus; alii cum Aristotele essentiam Dei potuerunt in vita æterna & opti-

optima: Alii cum Thoma in intellectu, vel cum Godof. Bachmanno in cogitatione perfectissima, eam collocarunt: Alii, cum Cartesio in eo positam essentiam summi numinis, quod sit ens perfectissimum, arbitrati sunt: Alii cum Svarezio in omnibus prædicatis Divinis absolutis, justitia nimirum misericordia, sapientia, bonitate, & quæ sunt reliqua, eam consistere existimarunt: Alii cum Christ. Wolfio vel in vi repræsentativa omnium mundo: un possibilium distinctissima & simultanea, vel in aseitae, vel existendi necessitate, eam constituerunt. Alii denique in independentia, vel alio quocunque prædicato divino absoluto, essentiam divinam quæsserunt.

§. V.

**N**OS essentiam Dei in spiritualitate infinita potissimum collocandam esse judicamus. Per spiritum intelligimus ens simplex intellectu & voluntate præditum. Infinitum autem nobis dicitur, quod omnes possidet perfectiones absolutas vel compossibiles cum omnitudine, h: e sine successione, limitibus, & gradibus. Incidimus vero in primum hunc de Deo conceptum, dum veritates consideramus necessarias & æternas, quæ existentiam Dei firmissime evincunt, etiam si nullus existeret mundus, cujus ratio in Deo esset quærenda. Dari vero has nemo negabit, qui omnes possibilitates necessarias & æternas esse perpenderit. Attendentes autem ad determinaciones possibilium,  
sup  
quas

quas veritates istæ æternæ exprimunt, nihilprehendimus in una quod alteri repugnet, ut adeo possibile unum alteri contrariari non possit. Si enim possibile positivorum unum alteri repugneret, cum contradictoria simul esse nequeant, unum alterum tolleretur, adeoque non esset utrumque possibile, quod contradictorium est, cum possibile simul impossibile esse nequeat. Cum vero possibilitates positivas seu absolutas h. e. quatenus sunt realitates, nullam sibi adjunctam habentes limitationem, sibi invicem contradicere impossibile sit, omnisque ex limitatione tantum oriatur contradictio; omnitudo perfectionum absolutarum in uno ente, quam infinitudinem diximus non modo nullam involvit contradictionem, adeoque possibile est, sed & cum oppositum ejus, repugnantia nimirum earundem realitatum, impossibile sit, absolute quoque erit necessaria; necessarium enim dicimus cuius oppositum est impossibile. Entis itaque infiniti possibilitas est absolute necessaria. Existencia vero est positivum quid, sive perfectio quæ illimitata esse potest, pertinet itaque ad determinationes entis infiniti quarum combinatione consistit, quatenus omnes realitates illimitatas habet, Tolle jam existentiam, tollis omnitudinem perfectionum, tollis realitatum earum unam, quarum combinatione ens infinitum constituitur, adeoque possibilitatem entis infiniti; quam absolute necessariam esse adstruximus. Non existencia itaque

que entis infiniti quatenus tollit possibilitatem necessariam ipsius entis, est absolute impossibilis, est ergo existentia absolute necessaria. Cum porro maxima sit realitas sui in se rationem & simul radicem ac principium omnium ceterorum continere, ens infinitum erit ens a se, in quo ratio continetur omnium aliorum extra se possibilem. Idem vero cum necessarium sit sine initio & sine exitu, adeoque æternum est. Ens vero illud Deum appellamus, & sic ex allatis luculentissime constare putamus, infinitudinem primum esse quod in Deo concipimus extra quod amplius regredi non licet, & ex qua ratio reddi possit ipsius existentie & reliquorum Dei attributorum. Derivavimus ex infinitudine, existendi necessitatem, a seipso & independentiam, atque æternitatem, eodemque modo immutabilitatem, incomprehensibilitatem &c. ex eadem infinitudine descendunt, omnesque, si penitus rem pensaverimus, eam supponunt. Recte ergo in infinitudine essentia divina collocatur, §. 4. 2. verum enim vero cum infinitudo hæc, & reliqua quæ enumeravimus, cum ipsa conexa prædicata, indicent tantum magnitudinem Dei modumque quo habet & possidet suas perfectiones, nimirum quod habeat omnes, cum omnitudine, sine successione, limitibus, & gradibus, immutabiliter, sine initio & sine, a seipso, nec ullo alio, necessario: nec determinate quid insit quidve habeat exprimat: nos vero investigantes essentiam

Dei, quæramus conceptum constitutum, qui determinate exprimat entitatem & substantialitatem Dei §. 2. 4. hic autem fit spiritualitas, cum ens infinitum nec corpus, nec aliud compositum, nec denique aliud simplex esse possit, nisi cum limitibus absurde concipiatur; spiritualitatem cum infinitudine essentiam divinam absolvere recte statuimus, ex qua cetera utpote sapientia, bonitas, justitia, omnipotentia &c. immediate vel mediate derivari possint. Et hinc Deum per spiritum infinitum præeunte Scriptura Sacra definimus. Joh. 4: 24. Psal. 135: 5. 145. 3. Jer. 10: 6.

## §. VI.

**A**tributa vero divina quæ per essentiam ejus determinantur in Varias communiter dividi solent Classes: primo quidem in *communia* & *propria*; illa dicuntur, quæ aliis quoque entibus, licet cum limitatione: hæc vero, quæ illi soli competunt. Illa per spiritualitatem solam seu sejunctim spectantur; hæc vero per totam essentiam divinam spiritualitatem nimirum infinitam, determinantur, ita e. g. simplicitas, cum annexis ut sunt indivisibilitas, incorruptibilitas, quod extensionis & figuræ capax non sit spatium non occupet &c. attributum commune est, competit enim entibus etiam finitis; omnipotentia e contrario, intellectus, voluntas, sapientia, bonitas, justitia, misericordia, sanctitas, quatenus cum omnitudine Deo insunt & sine limitatione, existendi necessitas, immutabilitas, aseitas, independen-  
tia,

tia, æternitas fixa, omniscientia &c. Deo soli propria sunt, nemini enim finitorum tribui possunt. Secundo in *Negativa* & *positiva*, dividuntur, hæc appellantur, quorum notio immediate perfectionem Deo tribuit: illa autem quorum notio immediate imperfectionem ab eo removet. Sic e. g. Deus dicitur omnipotens, omniscius, quo ipso perfectiones tribuuntur immediate, simulque excluduntur oppositæ imperfectiones, sed mediate tantum. Sic & negative dicitur ens illimitatum, independens, immutabile, immortale &c. quo ipso ab eo immediate removentur imperfectiones vel limitationes, simulque tribuuntur perfectiones oppositæ, sed mediate quidem: uti enim posita perfectione tollitur opposita imperfectio, sic remota imperfectione ponitur opposita perfectio, si magis notionis quam termini habeatur ratio. Et hoc respectu divisio hæc adoptari potest, licet proprie in Deo nulla sit negatio. Tertio, in *absoluta* & *relativa*, dispescuntur attributa divina: illorum in numerum referuntur prædicata quibus nulla actualis relatio Dei ad res extra se existentes ponitur, ad hæc vero pertinent quibus relatio ista ponitur. Quemadmodum idea creatoris, conservatoris, gubernatoris, omnipræsents, non potest concipi sine creaturis existentibus; sic idea simplicitatis & sanctitatis &c. sine illis plene concipitur, pariterque omniscientia, omnipotentia, justitia, bonitatis infinita, quæ etsi referantur ad objecta, horum tamen existen-

tiam actualem non involvunt, insunt Deo licet nulla existeret extra eum creatura. Attributa absoluta, per essentiam divinam in se spectatam, necessario determinantur, relativa vero necessario quidem per essentiam attamen non in se considerata, sed sub hypothese rerum aliarum existentium determinantur. Unde nec in sensu proprio attributa sunt, sed tantum attributorum denominationes, uti omnipræsencia nonnisi immensitatis denominatio est. Quarto, attributa divina denique vel *operativa* vel *quiescentia* sunt, per illa Deum ut operantem nobis repræsentalimus, per hæc vero non. Illa suo conceptu involvunt operationem, hæc non. Illis annumerantur, omniscientia, omniscientia, & quæ sunt reliqua, his autem, aseitias, independentia, necessitas, simplicitas, unitas, spiritualitas, immutabilitas, æternitas, ceteraque. Attributa operativa cum ea sint quibus Deum ut operantem nobis repræsentalimus, ad hæc quicquid operative in Deo concipitur referri debet. Complectuntur ergo actiones Dei ad intra, omnesque ad extra immanentes. Actiones nimirum Dei aut objectum habent ipsum Deum, aut ens ab eo diversum, si prius, *actiones ad intra*, si vero posterius, *ad extra* dicuntur. Hæ quæ objectum habent a Deo diversum si extra illum perficiantur *transeuntes*, si vero intra eum peragantur *immanentes* audiunt. De actionum ad intra divisione in essentielles & personales præcipiant Theologi.



13  
ologū. Hæc vero attributa Deo convenire ex ipsa  
ejus essentia spiritualitate infinita facile quisque  
colligere potest. Ex dictis vero simul elucescit,  
modos in Deo locum non habere ob immutabi-  
litate[m] ejus, §. I. 5. relationes autem externas  
Deo non repugnare, cum nullam in ipso inferant  
mutationem.

§. VII.

**Q**uicquid in genere de essentia demonstrant me-  
thaphysici, quod nimirum determinet attri-  
ta ejusdem indolis qualis est ipsa, & cum illis ne-  
cessario nexu connectatur ut eorum principium &  
radix: quod sit necessaria, æterna, immutabilis  
& incommunicabilis, id de essentia divina quoque  
recte dicitur, cum a genere ad speciem valeat  
conclusio. Præterea vero essentia[rum] divinæ propri-  
um huicque soli prorsus singulare est, quod in-  
volvat a se itatem & independentiam omnimodam,  
existentiam vel potius existendi necessitatem cum  
æternitate fixa, immenturabilitatem, incompre-  
hensibilitatem, & unitatem cum annexis, simulque  
fit fons & principium omnium essentiarum. Ens  
a se nimirum dicitur quod existentia[rum] suæ rationem  
in se continet; *independens*, in quo nihil deprehen-  
ditur quod sui rationem in alio agnoscat. *Æter-*  
*num* quod sine initio sine & successione est: *im-*  
*mensurabile*, cujus ratio ad aliud exprimi nequit:  
*incomprehensibile*, cujus notio adæquata ab alio for-  
mari non potest: *Unicum* quod non habet aliud  
secum specificè idem. Cum jam realitatem abso-  
lutam

lutam omnes hæ involvant notiones, ab infinitudine quæ omnes complectitur realitates cum omnitudine, nullo modo separari possunt, quod de singulis sigillatim demonstratum ex metaphysicis supponimus. Sic & essentiarum originem, nec in intellectu, nec voluntate, nec omnipotentia, nec sapientia, sed in ipsa essentia divina quærendam esse facile intelligent principis metaphysicis imbuti.

## §. VIII.

**R**ealiter diversa sunt, quorum unum in se spectatum seu nemine licet cogitante, non habet quod alterum, formaliter vero diversa, quorum unum, tantum pro nostro concipiendi modo, non habet quod alterum. Illa adeoque, si exceperis differentiam realem minorem, quæ est inter divinitatis personas, extra mentem concipientis, vel actu separata & extra se invicem existunt, vel saltem sigillatim existere possunt: hæc per mentis tantum operationem disjunguntur, vel per diversos conceptus distinguuntur. Oritur hinc differentia inter compositionem realem & formalem, illa est, quæ, pluribus a se invicem realiter diversis: hæc vero, quæ pluribus a se invicem formaliter seu ratione tantum diversis, constat. Compositio realis in metaphysicam, physicam & moralem, dividitur. Compositio metaphysica, constat pluribus realiter diversis quibus ens ut ens communiter componi solet: ut ex essentia & existentia: ex essentia & subsistentia: ex genere & differentia specifica, vel specie & differentia

rentia individuali: ex subiecto seu substantia & accidente: ex accidente & accidente: ex actu & potentia. Partes vero hæc compositi metaphysici realiter diversæ sunt, non quasi, utpote universalia, separatim & sejunctæ a se invicem ab omnibus individuis existere possent, sed quatenus actu existunt in individuis, extra mentem nostram, & ab iis quibus in sunt, vel a se invicem, separata, aliis tamen in esse possunt. Sic essentia potest esse sine existentia, genus sine differentia specifica cum qua jam coexistit, si ad aliam speciem referatur. *Compositio physica*, constat pluribus realiter diversis ad unum ens, quatenus individuum est substantia-liter constituendum unitis. Hæc intercedit duo vel plura simplicia, aut plura composita, aut denique simplicia & composita. *Compositio moralis*, quæ est plurium unio per libertatem facta, vel entium moralium conjunctio, huc non spectat: fecimus tantum ejus mentionem ne mancam traderemus compositionis divisionem. Ceterum eam quoque realem esse, cum partes revera diversas conjungendas supponat, facile patet. *Compositio formalis vel logica* est, quæ nititur fundamento in re, vel mere mentalis, quæ omni fundamento destituitur, aut enim adest ratio sufficiens cur diversis conceptibus plura in uno nobis repræsentemus, aut minus. Notandum vero compositionem formalem, in composito metaphysico, physico & morali locum habere, quando ea quæ realiter sunt diversa, di-

versis

versis ideis comprehendimus, potest vero etiam sine illis obtinere.

§. IX.

**O**Mnis compositio spiritualitati repugnat, atque contingentiam & finitudinem sui idea involvit: partium enim conjunctione oriri, earumque resolutione interire potest omne compositum; nec illud infinitum ullo modo concipi potest (per princip. Metaphys.). Cum adeoque Deus sit spiritus infinitus & necessarius §. 5. ens compositum esse nequit, adeo simplex erit. Non itaque ex pluribus substantiis simplicibus essentia a se invicem diversis, nec ex partibus aliis materiam efficientibus, sive essentialibus sive integralibus, constat, neque ex materia & forma compositus est: in Deum ergo non eadit compositio physica. §. 8. Et cum porro neque compositus sit ex essentia & existentia, quasi illa sine hac esse posset, illa enim hanc necessario involvit, §. 5. neque ob eandem rationem ex essentia & subsistentia; neque ex conceptu generico & differentia specifica, existit enim ut individuum; §. 5. neque ex notione specifica & differentia individuali est enim unicus §. 7. neque ex substantia & accidente vel pluribus accidentibus; modi enim in eo locum habere nequeunt, §. 6. neque ex actu & potentia, quasi possibilitatem ulterioris, quam quæ ei actu inest, perfectionis recipiendæ haberet, est enim infinitus §. 5. luculenter patet neque compositionem metaphysicam in  
Deo

Deo locum habere, §. 8. Pone aliquam in Deo compositionem realem ponis plura infinita quod manifesto implicat. Est ergo Deus, remota ab eo omni compositione specie, omni modo simplex, vel ens simplicissimum. Quantumque distet simplicitas ejus a simplicitate spirituum finitorum & animarum simul hinc intelligitur.

§. X.

Ceterum hinc per modum corollarii efficitur essentiam divinam, neque ab attributis, neque hæc a se invicem realiter differre, adeoque quæ rem ipsam unum idemque esse, unicum quippe attributum omnia, quæ nos concipimus, reliqua complectitur, quæ tenus infinitum est, §. 7. Infinitudo enim involvit omnitudinem compossibilium §. 5. Quicquid adeoque est in Deo est ipse Deus: sic intellectus Divinus est ipse Deus, voluntas Dei, potentia, sapientia, &c. sunt ipse Deus.

§. XI.

Licet vero omnem a Deo removeamus compositionem realem, non tamen negamus formalem seu logicam, in eo locum habere posse. Dum enim ob intellectus nostri, arctissimis inclusi limitibus, finitudinem & imbecillitatem, essentiam divinam comprehendere, & unico quasi obtutu nobis repræsentare nullo modo valemus, unicam eandemque simplicissimam essentiam, per diversos conceptus, prout in relatione ad effectus, varios diverso modo se habet, nobis animo intuendam sistimus. Essentiam nimirum divinam ut radicem &

C

pria-

principium attributorum omnium consideramus, §. 5. 2: hæc vero ut principiata §. 6. 3. & cum diversæ sint ejusdem essentiæ operationes, diversas realitates vel diversa attributa, pro ratione operationum istarum Deo tribuimus. Et sic cum præcisione aliorum attributorum formali vel ideali, modo sub hoc modo sub alio conceptu Deum, nobis repræsentamus, successive ex unius prædicati consideratione ad aliud transeuntes, simul omnia cognoscere nescientes, & quamvis unica sit essentia simplicissima quæ omnia agit, omnia cognoscit, omnia vult pro mensura bonitatis objectorum, omnia potest &c. Et licet unicus sit actus quo hæc omnia peragantur, in Deo enim nihil realiter diversi concipere licet, actus tamen ipsos cogitatione distingvimus, qui etenim a parte subjecti seu ipsius Dei diversi non sunt, respectu objectorum effectuum & relationum distingvi possunt. Sic unicus actus est quo Deus res cognoscit, vult, creaturas amat, hasque punit, &c. irasitur &c., quæ enim per diversos habitus peragunt homines, id ob simplicitatem & immutabilitatem §. 9. 5. unico actu absolvit Deus: quo ad connotata vero & si spectentur hi actus in relatione ad objecta & effectus, diversi quidem sunt, alius enim est actus gratiæ alius iræ. Unde tamen nulla intrinseca differentia oritur, e. g. sol indurat lutum & liquefacit ceram, nulla tamen hinc in solem redundat differentia, unico actu utrumque agit, aliud tan en est

indu-

induratio aliud liquetatio. Nec relationes intrinsecam enti interunt mutationem §. 6. I. Hanc vero attributorum divinorum differentiam formalem logicam seu virtualem simul esse, adeoque suo non destitui fundamento §. 8. quisque facile intelliget, qui perpenderit Deum a nobis aliter cognosci non posse. Et habent utique attributa illa sepe perinde ac si realiter essent diversa, notio enim cujuslibet attributi involvit, quod non involvit alterius idea; aliud e. g. infert omniscientia aliud omnipotentia, ex nostro quidem conceptu. Quamvis vero extramentem actiones & attributa ista, ut concipiuntur, realiter diversa non sint, nihil tamen in præjudicium veritatis hic admittitur, nec ullus exinde metuendus est error. Digna sunt quæ huc transcribantur verba Slæuogti in Dissert; De primo conceptu Dei §. 43. Non errat inquit, intellectus noster, aut falsus, est, si de uno conceptu objectivo Dei, eoque simplicissimo, plures formet conceptus formales. Licet enim essentia divina dicat unum conceptum objectivum, quoad rem; multiplex tamen ille est ratione nostra, unde singulis formalibus conceptibus, quibus ipsa inadæquate apprehenditur, respondent, singuli conceptus objectivi, non quidem re, ratione tamen distincti, v. g. si essentiam Dei concipimus in ordine ad actum puniendi, dicitur justitia, eandem si concipimus in ordine ad actum miserendi, dicitur misericordia. Hæc distinctis formalibus respondent distincti objectivi; nam essentia,

concepta in ordine ad punitionem non est idem; conceptus obiectivus ratione nostra, qui est, cum, eadem concipitur in ordine ad miserationem; & hoc sufficit ad servandam veritatem conceptuum formalium.

## §. XII.

**C**Um idem recte prædicetur de se ipso, essentia divina de attributis, attributa divina de essentia, & attributa Dei de se invicem prædicari possunt, *sensu indentico*, si nimirum ad id quod a parte rei sint, nec differant realiter, respiciatur, §. 10. adeoque reciprocabilia sunt. In *sensu vero formali*, si consideretur quodlibet prædicatum divinum ut a nobis concipitur, neque essentia de attributis, nec attributa de essentia, nec attributa de se in vicem, prædicari possunt, adeoque reciprocabilia non sunt. Essentia enim ab attributis & hæc a se invicem differunt ratione nostra, seu pro nostro concipiendi modo, §. 10. adeoque non idem sed diversa sunt, unius quippe idea habet quod non habet notio alterius. §. 9. Sic recte dicitur Deus est 1:o amor, bonitas, sapientia &c. 2:o amor bonitas, sapientia divina &c. est ipse Deus 3:o omniscientia divina est omnipotentia &c. & vicissim. *sensu indentico* non vero *formali*. Hinc Barr. Müller, *ab surdum non est*, inquit, si dicas, Deum intelligere voluntate, modo hoc intelligas sano sensu, qui hic est, quod Deus intelligat per essentiam suam &c. nimirum illa realitas quæ vult eadem intelligit.



## §. XIII.

**C**um quidquid est in Deo sit ipse Deus, omniaque attributa revera unum idemque sint, idem vero sibi ipsi repugnare nequeat, conficitur inter attributa Divina amicissimum esse contentum exactissimamque harmoniam. Quæ ergo inter illa e. c. gratiam & iram, bonitatem & justitiam vindicativam, cetera, fingitur repugnantia ex perversis formalitatibus sub quibus prædicata divina concipiuntur, vel ex falsis definitionibus quibus proprium cuiuslibet attributi exponitur, derivanda est.

## §. XIV.

**E**ffet hic locus dicendi, de modo quo pervenimus ad cognitionem attributorum divinorum, illiusque cognitionis nostræ veritate, verum temporis rationem habentes heic vela contrahimus.

*SOLI DEO INFINITO GLORIA.*



*Dem*

Als Er

In dem weit berühmten Au-Athen  
 Vom Gottes Wesen und Eigenschaften  
 rühmlich Disputierte.

**S** Er aller seinen That  
 Des Höchsten Furcht beysüget,  
 Und frühe wie auch spät  
 Der Musen acker pflüget;  
 Hat auch die Tugend lieb:  
 Der wird sehr wol belohnet,  
 Auf der vorsetzungs Trieb  
 Berzeiten Er zwar wohnet,  
 In goldner Musen-Pracht  
 Auf Pindi hohen hügel'n,  
 Wo Er ein groß veracht  
 Mag thun der Unglücks prügeln.  
 Da soll Apollo Ihn  
 Mit großem lust begleiten  
 Zur Sippocren', forthin,  
 Ihn weiter zu vergelten:  
 In den Cypressen-wald,  
 Wo Lorbeer dick auch stehen;  
 Da lassen sich alsbald  
 Ionides ersehen.  
 Die da mit großem Fleiß  
 Von Bäumen Aste brechen,  
 Aus Bättern Ihn Zu Preis  
 Ein Kranz zusammen, lech'.

Was ins aemelt geschicht:  
Den Lichtobern der Tugend:  
Das selbe kan auch nicht  
Euch mangeln; weil von Tugend  
Ihr allen fließ daran  
Gewandt; wie Thate alle:  
Dem Gode und jedermann:  
Wären zum wolgefallen.  
Ja, weil ihr auch dabey  
Den Saft des Muses-Feldes,  
Auf Jahr vier oder drey  
Gefaugt auf weis ein's heldes;  
Welchs scheint mehr daan genug  
Was dieser Euren arbeit,  
Die riffer Prob und flüg  
Ist sehr grundlicher weisheit.  
Ich wü sche denn viel Glück  
Euch, auf die schwere reise,  
Dass ihr in großen Schmück,  
Bald möget mit den weisen  
Auf Seliön Eur Stim:  
Erheben, und da sagen:  
Trog allm Neides grimm;  
Kan jemand höher wagen:  
Nun ist dir mühe nacht  
Fürüber, und wir gehen,  
Wo uns ein Kranz anlacht  
Und Riche- Wiade wehen.  
Wolte solchermassen gratulieren

MATTH. RENNERUS,

Abdruf.

AUCTORI.

**I**n gratiam Romanorum hoc ignosceas mihi. Optimus,  
 in Te ipsum exilii propositi huius cadit favor mitio-  
 ra. Procul omni dubio mores majorum servare conor.  
 Hic accessum praebet Libum hoc Tuum primum orbi  
 literato concinnatum. Materiam nobilissimam mediante  
 hoc contam & apte compositam monstras. Centrum &  
 nucleum omnium Summo Numini inexistentium certis-  
 simum, ex quo omnia ejus attributa at instar radiorum  
 propullulant, perargute es rimatus; Hinc scalam veram,  
 qua ad cognitionem Dei naturalem ascendendam. Hoc na-  
 vibus Epirum salvis tetigisse Eruditionis adyta Tuæ  
 testatur. Pro fundi eadem ratione rati dedisti suppara.  
 Consilium illud, quod res & fortuna sequuntur, minime  
 repudiasti. Hoc omne illud sibi vindicat praeconium, quod  
 ab Homero Achilli tributum esse, Alexander dixit. Af-  
 fectiones, virtutem puta, diligentiam fidelem & praestan-  
 tem ingenii vim, quibus polles, alii, praeter me, in com-  
 pitis Sveciae lustrantes omni cumulandas laude de hinc se-  
 met turmatim confitebuntur. Procedas & progrediaris in-  
 scientiis & virtute. Pergas Te, Praestantissime Domine,  
 honoribus praemiisque augere. Amicitiam Tecum mihi  
 intercessam semper sale comique aspergas lepore; processui  
 fortunae comitem sese praebens Corolla castrensis bene meri-  
 ta optatam Tibi cursu contingit metam. Fruaris vita  
 incolumi jucundaque, donec Te Corona quaedam beata  
 in caelis afficiat. Vale & semper fave

MATH. RENVERUS

MEAE LIVIAE.